



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris  
Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 1. Quid sit Parochus quaeve ejus obligationes

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

## TITVLVS SEXTVS.

*De Parochis & illorum obligatione.*

## Articulus Primus.

*Quid sit Parochus, quæve ejus obliga-  
tiones.*

I. **C**uratus dicitur, qui beneficium cui cura animarū annexa est possidet; illius vero institutio stricte non est juris divini, quamvis officiū Parochi non admittetur, nisi per potestatem à jure divino originem trahentem, sed jure humano fuerunt ad Hierarchiam Ecclesiæ assumpti, potestate divini juris, in ipsis ab Episcopis ad mensuram regiminis influente. Et patet illorum institutio ex Dyonisio 1. Epist. ad Severum Episcop. apud Gratian. 13 q. 1. Ecclesiæ singulas (inquit) singulis Presbyteris dedimus, Parochias & Cemiteria eis divisi-  
mus, unicuique ius proprium habere statui-  
mus; ita videlicet, ut nullus alterius Paro-  
chia terminos aut ius invadat, sed unusquis-  
que suis terminis contentus sit, & taliter Ec-  
clesiæ

*De Hierarchy Ecclesiastica.* 83

eclesiam sibi commissam custodiat ut ante tri-  
bunal eterni judicis ex omnibus sibi commis-  
sionem reddat, & non judicium, sed glo-  
riam pro suis actibus percipiat. Qualitates  
vero in Parocho requisitæ sunt sequentes:  
ætas 25. annorum, sacerdotium vel actu  
susceptum, vel intra annum à die acceptæ  
possessionis Beneficij suscipiendum: Do-  
ctrina suo ministerio proportionata: Vita  
integra & exemplaris.

Officia vero & obligationes Parochi  
sequentibus fere terminis comprehendun-  
tur: instructione populi: prædicatione  
Verbi Dei: administratione Sacramento-  
rum, celebratiōne Missarum & divinorum  
officiorum: cura singulari pauperum: resi-  
dentia.

2. Parochi tenentur, de omnibus ne-  
cessarijs ad salutem, ita populum suum per  
se vel per alios instruere, ut si defectu sci-  
entiæ aut negligentia pastoris anima per-  
eat, de manu Parochi illam requirat Deus.  
Sunt autem duplia de quibus Parochi te-  
nentur sub mortali informare plebem sibi  
commissam; alia sunt universalia: ut Arti-  
culi

culi fidei, præcepta Decalogi, usus dignus Sacraementorum, modus Deum colendi & orandi, peccata capitalia, opera misericordiæ, quæ non tantum debent proponi, ut ex memoria discantur, sed ut juxta cuiuslibet capacitatem intelligantur, ac eis in bene vivendo anima informetur, possitq; distinguere inter bonum & malum, alia sunt specialia uniuscujusque status: ut nuptis Matrimonij obligationes, innuptis Castimoniam, filijs obedientiam ad parentes, parentibus debitam curam prolium, obligationes servorum ad Dominos & Dominorum ad servos &c. non tamen tenetur habere Conciones oratorias juxta eloquentiæ modos, sed sufficit & utilius est, simpliciter, & sine phalerata eloquentia annuntiare quæ sunt ad salutem necessaria.

## Articulus Secundus.

*Ad quid teneatur Parochus in Sacra-  
mentorum Administracione.*

I. **N**on tractatur hic de Ministerio Sacramenti pænitentiæ, Matrimonij,